

I. Translate 4 passages (12.5% 15 min. each). Name: _____

49. HERCULES—12th LABOR: CERBERUS, THREE-HEADED DOG (15 min)

Postquam aurea pōma ad Eurystheum relāta sunt, ūnus modo relinquēbātur ē

duodecim labōribus quōs Pŷthia Herculi praecēperat. Eurystheus autem cum

Herculem māgnopere timēret, eum in aliquem locum mittere volēbat unde

numquam redire posset. Negōtium igitur eī dedit ut canem Cerberum ex Orcō,

in lūcem traheret. Hoc opus omnium difficillimum erat, nēmō enim umquam 5

ex Orcō redierat. Praetereā Cerberus iste mōnstrum erat horribili speciē,

cui tria erant capita serpentibus saevīs cincta. Antequam tamen dē hōc

labōre nārrāmus, nōn aliēnum vidētur, quoniam dē Orcō mentiōnem fēcimus,

pauca dē eā regiōne prōpōnere.

60. JASON—THE BUILDING OF THE GOOD SHIP ARGO (15 min.)

Cum tamen Colchis multōrum diērum iter ab eō locō abesset, sōlus Iāsōn

proficiscī nōluit. Dīmīsīt igitur nūntiōs in omnīs partīs, quī causam

itineris docērent et diem certam conveniendī dicerent. Intereā, postquam

omnia quae sunt ūsuī ad armandās nāvīs comportārī iussit, negōtium dedit

Argō cuidam, quī summam scientiam nauticārum rērum habēbat, ut nāvem

5

aedificāret. In hīs rēbus circiter decem diēs cōsūpti sunt; Argus enim,

quī operī praeerat, tantam diligentiam adhibēbat ut nē nocturnum quidem

tempus ad labōrem intermitteret. Ad multitūdinem hominum trānsportandam

nāvīs paulō erat lātior quam quibus in nostrō marī ūtī cōsuēvimus, et ad

vim tempestātum perferendam tōta ē rōbore facta est.

10

64. JASON—DIFFICULT DINING (15 min.)

Post haec Argonautae ad Thrāciam cursum tenuērunt, et postquam ad oppidum

Salmydēssum nāvem appulērunt, in terram ēgressi sunt. Ibi cum ab incolis

quaesissent quis rēgnum eius regiōnis obtinēret, certiōrēs facti sunt

Phineum quendam tum rēgem esse. Cōgnōvērunt etiam hunc caecum esse et

dirō quōdam suppliciō adfici, quod ōlim sē crūdēlissimum in filiōs suōs

5

praebuisset. Cūius supplicī hoc erat genus. Missa erant ā Iove mōnstra

quaedam speciē horribilī, quae capita virginum, corpora volucrum

habēbant. Hae volucrēs, quae Harp̄yiae appellābantur, Phineō summam

molestiam adferēbant; quotiēns enim ille accubuerat, veniēbant et cibum

appositum statim auferēbant. Quō factum est ut haud multum abesset quīn

10

Phineus famē morerētur.

69. JASON—THE SOWING OF THE DRAGON’S TEETH (15 min.)

Ubi is diēs vēnit quem rēx ad arandum agrum ēdixerat, Iāsōn ortā lūce cum

sociīs ad locum cōstitūtum sē contulit. Ibi stabulum ingēns repperit, in

quō taurī erant inclūsī; tum portīs apertīs taurōs in lūcem trāxit, et

summā cum difficultāte iugum imposuit. At Aeētēs cum vidēret taurōs nihil

contrā Iāsonem valēre, māgnopere mirātus est; nesciēbat enim filiam suam

5

auxilium eī dedisse. Tum Iāsōn omnibus aspicientibus agrum arāre coepit,

quā in rē tantam dīligentiam praebuit ut ante merīdiem tōtum opus

cōnfēcerit. Hōc factō ad locum ubi rēx sedēbat adiit et dentīs dracōnis

postulāvit; quōs ubi accēpit, in agrum quem arāverat māgnā cum dīligentiā

sparsit. Hōrum autem dentium nātūra erat tālis ut in eō locō ubi sēmentēs

10

factae essent virī armātī mirō quōdam modō gīgnerentur.

II. Translate 2 passages (25% 30 min. each).

1. The Bold Conspirator Appears in the Senate (30 min.)

Quō ūsque tandem abūtēre, Catilīna, patientiā nostrā? quam

diū etiam furor iste tuus nōs ēlūdet? quem ad finem sēsē effrēnāta

iactābit audācia?

Nihilne tē nocturnum praesidium Palātī, nihil urbis vigiliae,

nihil timor populī, nihil concursus bonōrum omnium, nihil hic

5

mūnītissimus habendī senātūs locus, nihil hōrum ōra vultūsque

mōvērunt? Patēre tua cōnsilia nōn sentis, cōnstrictam iam hōrum

omnium scientiā tenēri coniūrātiōnem tuam nōn vides? quid

proximā, quid superiōre nocte ēgeris, ubi fueris, quōs convocāveris,

quid cōnsili cēperis, quem nostrum ignōrāre arbitrāris?

10

Ō tempora, Ō mōrēs! senātus haec intellegit, consul videt; hic

tamen vīvit. Vīvit? immō vērō etiam in senātum venit, fit pūblici

cōnsilī particeps, notat et dēsīgnat oculis ad caedem ūnum quemque

nostrum. Nōs autem fortēs virī satis facere reī pūblicae vidēmur

sī istius furōrem ac tēla vītāmus.

15

Ad mortem tē, Catilīna, dūcī iussū cōnsulis iam pridem oportēbat,

in tē cōferri pestem quam tū in nōs omnēs iam diū māchināris. An

vērō vir amplissimus, P. Scīpiō, pontifex maximus, Ti. Gracchum

mediocriter labefactantem statum reī pūblicae privatus interfēcit:

Catilīnam orbem terrae caede atque incendiīs vāstāre cupientem

20

in tē cōferri pestem quam tū in nōs omnēs iam diū māchināris. An

nōs cōsulēs perferēmus? Nam illa nimis antiq̄ua praetereō, quod

C. Servilius Ahāla Sp. Maelium novīs rēbus studentem manū suā

occīdit.

Fuit, fuit ista quondam in hāc rē pūblicā virtūs ut virī fortēs

ācriōribus suppliciīs cīvem perniciosum quam acerbissimum

25

hostem coercērent. Habēmus senātūs cōsultum in tē, Catilīna,

vehemēns et grave; nōn deest rei pūblicae cōsiliū neque auctō-

ritās huius ordinis: nōs, nōs, dīcō apertē, cōsulēs dēsumus.

2. The Consuls Have Full Power to Handle the Situation (30 min.)

Dēcrēvit quondam senātus utī L. Opīmius cōsul vidēret nē

quid rēs pūblica dētrimentī caperet: nox nūlla intercessit; inter-

fectus est propter quāsdam sēditiōnum suspīciōnēs C. Gracchus,

clārissimō patre, avō, maiōribus, occīsus est cum liberīs M. Fulvius

cōsulāris.

5

Similī senātūs cōsultō C. Mariō et L. Valeriō cōsulibus est

permissa rēs pūblica: num ūnum diem postea L. Sātūrnium tri-

būnum plēbis et C. Servīlium praetōrem mors ac rei pūblīcae poena

remorāta est?

At vērō nōs vicēsimum iam diem patimur hebēscere aciem hōrum

10

auctōritātis. Habēmus enim eius modī senātūs cōsultum, vērum

inclūsum in tabulīs, tamquam in vāginā reconditum, quō ex senātūs

cōsultō cōnfestim tē interfectus esse, Catalīna, convēnit. Vīvis,

et vīvis nōn ad dēpōnendam, sed ad cōfirmandam audāciam.

Cupiō, patrēs cōscriptī, me esse clēmentem, cupiō in tantīs rei

15

pūblicae periculis nōn dissolūtum vidēri, sed iam mē ipse inertiae

nēquitiaeque condemnō. Castra sunt in Italiā contrā populum

Rōmānum in Etrūriae faucibus collocāta, crēscit in diēs singulōs

hostium numerus; eōrum autem castrōrum imperātōrem ducemque

hostium intrā moenia atque adeō in senātū vidētis, intestīnam

20

aliquam cotīdiē perniciem rei pūblicae mōlientem.

Si tē iam, Catalīna, comprehendī, sī interficī iusserō, crēdō, erit

verendum mihi nē nōn hoc potius omnēs bonī sērius ā mē quam

quisquam crūdēlius factum esse dīcat. Verum ego hoc quod iam

p̄ridem factum esse oportuit certā dē causā nōndum addūcor ut

25

faciam.

Tum dēnique interficiēre, cum iam nēmō tam improbus, tam

25

perdītus, tam tuī similis invenīrī poterit quī id nōn iūre factum esse

fateātur. Quam diū quisquam erit quī tē dēfendere audeat, vīvēs,

et vīvēs ita ut nunc vīvis, multis meis et firmīs praesidiīs obsessus,

30

nē commovēre tē contrā rem pūblicam possīs. Multōrum tē etiam

oculi et aurēs nōn sentientem, sicut adhūc fēcērunt, speculābuntur

atque custōdient.